

Hozm

*de jure
detractus*

1783



H. E. S. A B H O Y M

BEGINNIS MAGDEBURGENSIS REFERENDARIVS

387

D E

IVRE DETRACTVS

IN GENERE ET IN SPECIE

SECUNDVM

LEGES PRVTENICAS.

Hi
1584



ROSTOCHII et LIPSIAE,

APVD IOH. CHRIST. KOPPIVM. 1783.

МУОНДАРЕН

СТИЛИСТИКА И СИСТЕМА ВИЧЕВОГО

Д

СТИЛИСТИКА И СИСТЕМА ВИЧЕВОГО

СТИЛИСТИКА И СИСТЕМА ВИЧЕВОГО

СТИЛИСТИКА И СИСТЕМА ВИЧЕВОГО

СТИЛИСТИКА И СИСТЕМА ВИЧЕВОГО



БИБЛІОГРАФІЯ

1996-2001. ЧИСЛІВНОЧІСЛІВНІ

V I R O

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

IOHANNI HENRICO CASIMIRO

L. B. a CARMER

P O T E N T I S S I M I B O R V S S I A E R E G I S

A D M I N I S T R O S T A T V S I N T I M O

E I V S D E M Q V E

C A N C E L L A R I O S V P R E M O.

V A I R O

INTERESSIMO ATQUE INDESTITUTISSIMO

JOHANN HENRICO CASIMIRO

L B · CARMER

POLITISSEMI PORTATIVAE RELIC

AMINISTRA STATAS INTIMO

ETIACDEMAD

CAMPOMAGGIO SAPUIMO

**REVERENDISSIME ATQVE ILLV-
STRISSIME DOMINE,
DOMINE INDVLGENTISSIME!**



Circumspicienti mihi V I R ILLV-
STRISSIME , cuius patrocinio
exiguum hoc opusculum submisse dedicarem,
varia fluctuantem distrahebant animum , ante-
quam deuota voluntas mea patronum eius sibi
eligeret. Modo enim deterrebat ipsius mate-
riae ad disquirendum substratae momentum,
forte non satis dignum illud summorum viro-
rum personis, modo verecundia et timor dis-
suadebant has studiorum meorum primitias
subiicere oculis eorum , quibus negotiorum et
grauitate et multitudine distentis saepenumero
non molestus esse non potest frequentia homi-
num

num ex officio salutantium. Quod idem né
mihi eueniret, metuendum putassem, nisi
multis rationibus iisque non leuibus animus
inductus eslet, vt tutelae TVAE, VIR IL-
LVSTRISSIME, cui multis nominibus
maxime devinctum me ingenue profiteor,
commentatiunculam hanc traderem. Auge-
bat hanc fiduciam variarum virtutum fulgor,
quibus ipsam TIBI fortunam obtemperare
TIBI coegisti, quaeque adeo spem faciebant
haud exiguum fore, vt hanc summae obser-
vantiae erga TE meae significationem indul-
gentissime exciperes. Finito igitur iam ante
hos novem annos Academicu cursu rationem
studiorum meorum redditurus TIBI ILLV-
STRISSIME DOMINE, quem singularis
eruditio ac virtus praestantissima harum rerum
arbitrum competentem designat, hocce opus-

mun

S A

culum

culum submittere TVAEque Curae fortunam
omnesque vires meas concredere sustineo.
Quamuis enim summarum virtutum TVA-
RVM splendorem clementia atque humani-
tate maxima temperare soles, nec tam laudari,
quam res laude dignissimas gerere cupias, ex-
cellentia tamen illa TVA in Rempublicam
merita celari nesciunt: versatur in omnium
Oculis Corpus Iuris Fridericianum, quo TIBI
exegisti monumentum aere perennius, quod-
que, vt ad omnium civilem felicitatem pluri-
mum facit, ita omnium ore celebratur.

Felix igitur *CELSISSIMI FRIDE-
RICI II.* aeuum, quod TVIS TIBIque
similium herorum togatorum illustratur virtu-
tibus! quae felicitas vt sit perpetua ac diurna,
vtque TV in primis DOMINE INDVL-
GENTISSIME valetudine firmissima atque

M V O H ds 3 S II

inte-

integerrima rerum TVARVM laetissimo flore
consiliorumque saluberrimorum optimo suc-
cessu gaudens ad seram vsque senectutem pro-
veharis, TVORVMque meritorum fructus
vberimos nunquam non colligas, omnes boni
mecum ardentissimis precibus exoptant. Me
vero, si gratia TVA, cui me meaque omnia
venerabundus committo, frui perpetuo liceat,
vel maxime ea re esse beatum existimabo

**REVERENDISSIME
ATQVE ILLVSTRISSIME DOMINE
DOMINE INDVLGENTISSIME
TVI NOMINIS**

Cultor obsequiosissimus

H. E. S. ab HOYM.

PRAEFATIO.



Quamquam non pauci suas, de hac ipsa re,
quam mihi tractandam sumsi, dedere
lucubrations, opus tamen haud supervacaneum me
fecisse arbitror, hanc materiam de nouo aggressus.
Quaelibet enim res, cum diuersas quasi facies contem-
plandas praebeat, difficile videtur, vno intuitu omnes
animadvertere, et de vniuersis satis recte et subtiliter
iudicare. Quod si igitur noua, materiae alicui a pluri-
bus iam tractatae, adiificantur argumenta, frustraneum
et inutilem suscepisse laborem existimandus non erit
auctor. Plerique Iuris Doctores, e quibus vnum Schwe-
derum *a)* et Berlichium *b)* nomino, nostram hanc mate-
riam ex Iuris Romani Fontibus explicarunt; quare non
est, quod miremur, varias, ex hac incongrua Iuris
Romani ad consuetudinem Germanicam applicatione,
difficultates et confusiones ortas esse. Constat enim
Romanos Legislatores Detractum, vt apud nos in vsu
est, penitus ignorasse. Nam Dispositionis Augusti,
cuius fit mentio in Lege finali Codicis de edicto Diui

Hadriani

a) In introduct. in ius publ. parte spec. Sect. 2. Cap. 15. §. 4.

b) Parte 3. Conclus. 52. No. 2.

Hadriani tollendo et in L. 2. §. 4. D. de O. I., qua dispositione diuturnis bellis exhaustum aerarium per vicesimam haereditatis, legatorum ac donationum partem stabilire volebat, longe aliae sunt rationes: illa non ex solis haereditatibus in aliud locum translatis, sed ex omnibus ac singulis soluenda erat, praeterea; ut taceam; illam dispositionem iam Iustiniani aetate abrogatam fuisse c). Infelici quoque successu quidam in iure Canonico praecipue in Cap. XIV. X. de Testamentis fundamentum juris detractionis quaefuerunt; sed ipsa verba laudati capituli satis ostendunt, ibi sermonem non esse de hoc iure. Certissimum denique est, quod in commentatione ipsa pluribus ostendi, censem hunc iam ante Ius Romanum in subsidium in foris Germaniae receptum bene notum et in usu fuisse. Tandem etiam Ius in primis Patrium per plura edicta regia dispersum in systema quoddam redigere studui: quis autem neget, eos, quibus in nostris foris quaestiones huius generis decidenda occurant aliquantum iuuari posse, si Iuris patrii dispositiones aedas attinentes uno obtutu perlustrare possint. Horum commodis magis etiam consulturus in fine adieci catalogum prouinciarum et ciuitatum, inter quas et nostram patriam sublatum est Ius Detractus. Dabam Magdeburgae pridie Cal. Septbr. MDCCCLXXXII.

c) Vid, Gotofred, ad L. fin, C, de Edict, Divi Hadr, toll,

§. I.



§. I.



Domicilii mutationem introducendo detractui occasionem dedisse, inter omnes constat *a*). Ad impedierendas subditorum emigrationes nihil convenientius erat, quam ut summi imperii status ac principes subditis non nisi sub lege relinquenda certae partis bonorum solo natali excedere permitterent: quod eo magis aequum videtur, quia alioquin munera reipublicae ac tutelam sui et bonorum suorum gratis percepissent, et iniquum onus census reliquis ciuibus emigratione sua imposuissent. Et quamvis priuatis damnum inferri quodammodo videatur, reipublicae tamen ratio hic insuper habenda erit, quia, quod communiter omnibus prodest, illud, ut honestius, privatae utilitati praferendum est *b*). Secuti sunt hoc exemplum minores Imperii status, et sic vniuersa quadam consue-

consuetudine obtinuit detractus c). Quo autem seculo et anno haec consuetudo initium coepit, incertum est: omni tamen dubio caret, illam iam ante seculum decimum quintum obtinuisse, quia Recessus Imperii de 1555. §. 24. eam ut consuetudinem veterem memorat. Nostris in terris iam seculo quinto et decimo obtinuit detractus d) et in Ducatu Magdeburgico primum per ordinationem Politiae introductus est e).

- a) Plura vide apud Rhetz. in Disp. de sarcina emigrantium, qui cap. 3. id multis solidis argumentis ostendit.
- b) L. un. C. de caduc. toll. §. haec autem omnia.
- c) Recess. Imp. de 1555. §. 24.
- d) Vid. die Additional-Constitution zu der Polizey-Ordnung von Küstrin vom Jahr 1561. Art. XI. vom angeforbten Guth und vom Abzuge.
- e) Cap. 56.

§. II.

Ex quo tempore Recessus Imp. huius iuris exercitium auctoritate sua confirmaverant, Iurisconsulti multis commen-tationibus hanc materiam explicaverunt, quas prolixe recenset Lippenius a). Sed ante seculum XVI^{um} nemo nobis quidem in bibliothecis occurrit, qui hac de re meditationes in lucem ediderit. Plurimi occupati fuerunt in decisione quaestioni, vtrum ius detractus ex iurisdictione tanquam dependens ex ipsa iurisdictione, an ex superioritate territoriali originem traxerit, vt Faustius b), et Bonhoefferus c), inter alios praecipue; cum illis ipsa verba laudati Recessus Imp. d), clare potuissent ostendere, illud nec ex iurisdictione nec ex superioritate territoriali fluxisse. Leyserus e). enim pluribus ostendit, exerceri illud non posse, nisi ubi visus eius ex obseruanti doceatur, quo cum consentit etiam Mullerus f). negandum tamen non erit, principi ut regale minus illud competere, quamquam inde non sequitur, originem ex fonte regalium esse deriuandam. De Visu Detractus

tractus nostris in terris vnum Thomasium scripsisse video g). qui tamen pauca nonnulla atque in primis explicationem cap. 56. ordinationis Politiae Magdeburgicae hoc de argu-
mento agentis occupauit. Pauca quaedam recensent Stry-
kius h). et Mullerus i). Multi etiam in notione , funda-
mento, et speciebus detractus dandis discrepant , de quibus
Thomasius in modo laudata Disputatione affert exempla,
quare haud supervacaneum erit , hac in commentatione in
veram notionem , fundamentum ac species Detractus de
novo inquirere.

- a) In bibliotheca iuridica et supplementis a Schottio editis sub voce:
Gabella , Detractus , Detractionis Ius.
- b) Beweis, daß das Recht der Nachsteuer ein Regale sey , Frankfurt und
Leipzig, 1756, 4.
- c) in Disp. qua ius detractus superioritati territoriali vindicatur eius
que vera indoles ostenditur, Goettingae 1772
- d) Recess. I. de 1555. §. 24. ibi : Wie es eines jeden Orts von Alters
her üblich hergebracht.
- e) Spec. 226, medit. 5. et 6.
- f) Resolut. Marchic, XVI.
- g) de iure detractus ad ordin. Pol. Magd. c. 56.
- h) In vsu mod. pand. Tom. 4. L. 50. Tit. I. §. XII.
- i) In practica civili marchica resol. I. usque XVII.

§. III.

Recte se haber , quod Thomasius reprehendens Ehren-
bachium in all. Disp. §. I. dicit , locum habere detraetum
non solum, vbi bona e territorio alicuius principis in aliud
territorium , sed etiam vbi bona in eodem territorio perma-
nentia ex una tantum iurisdictione in aliam transferantur.
Hinc igitur ius Detractus ita definiendum videtur , vt sit
facultas Superiori et subditu priuilegiato competens , detra-
hendi certam portionem de bonis , quae ex eius iurisdictio-
ne in aliam transferuntur.

B 3

§. IV.



§. IV.

Varias rationes pro fundando detractionis iure, Iuris Doctores proferunt, ideoque tutissime ibimus, si falsas a veris disiungamus.

§. V.

Ad falsas rationes refero Census defectum, quam rationem inter ceteros proferunt Cothmannus *a)* et Beckius *b)* porro consumtionem redditum in alieno territorio, rationem nuperrime a Langio post Rhetzium defensam *c)* in falsarum numerum denique refero veterem servitutem et acquisitionem bonorum in Domicilio. Nam quod census defectum atrinet, verum fundamentum hoc esse non potest, quia rerum immobilium, quae etiam obiectum detractus praestant, census non deficit, etenim propter possessorum emigrationem non deficit, sed ab iis, qui post eorum emigrationem immobilia haec possident, praestatur: mobilium actionumque ac nominum census etiam non deficit, cum is, qui emigrat, ab iis post emigrationem nihil debet, quia sua persona principi nullo iure subiecta manet. Sic etiam consumptio reddituum in alieno territorio uera ratio detractus esse non potest, quia bona, super quibus principi dominium eminens non competit, non possunt esse fontes redditum principis: neque magis antiqua servitus atque acquisitione bonorum in patria sede pro vero fundamento haberi possunt, quia, quamquam olim in tota fere Germania homines proprii fuerunt plurimi tamen liberi erant, atque hi ipsi iuri detractus obnoxii: denique acquisitione honorum in patria sede similiter vera ratio esse non potest, quia pecunia, qua acquisita erant bona, fuit particula dominii possessoris, et non principis dominii, detractus autem, ut infra plurimis ostendetur, onus personae tantum, non rebus inhaerens est.

a) in resp. 19. no. 10.

b) Von Nachsteuer und Handlohn, parte I, obs. 1.

c) In

c) In denen Anmerkungen und Berichtigungen zu Beck's rechtlicher Abhandlung von Nachsteuer und Handlohn, Obsl. 3, in fine pag. 5. ed. noviss. de 1781. Rhetorius de sarcina emigrantium c. 3. thes. 2. et 3.


§. VI.

Itaque verius iuris detractio*n*is fundamentum indagandum erit, quod in eo possum esse videtur, quod, qui semel est subditus, semper sit subditus, adeoque iura ex subiectio*n*is nexu proficisci*n*tia nunquam tollat. Ad stabilendam hanc meam sententiam necesse est, ut quaedam de reipublicae notione praemittam; res autem publica certe nihil aliud est, quam corpus ex coniunctis multorum membrorum viribus compositum. Si consideretur ut corpus, inest illi vis composita, cuius partes insunt in singulis membrorum viribus. Respublica igitur omnes has vires ut dominio suo subiectas considerare potest. Ad vires membrorum reipublicae in specie pertinent bona, in quibus consistit patrimonium reipublicae. Ex his praemissis necessario sequitur, reipublicae horum bonorum dominium, quod apud Publicistas sub nomine dominii eminentis venit, competere. Quod dominium, cum in iure de facultatibus subditorum propriis disponendi consistat, sequitur, ut subditus tamquam membrum reipublicae pleno dominia, suarum facultatum carens de suis, si nexus subiectio*n*is tollere velit, neutriquam libere constituere possit. Quod autem detractum Borussicum attinet, omni dubio carer, Legislatores harum terrarum in eius ordinatione in primis ad census defectum respexisse cum inter omnes constet, secundum ordinationem Politiae Magdeburgicam a) et edicta regia post illam promulgata, detractum in eo casu, ubi quis domicilium quidem mutat, sed tamen in eadem provincia permanet, aut in aliam quidem prouinciam Regi tamen nostro eandem subiectam se confert, penitus cessare.

a) Cap. 56. §.

b) Rescript regium de IIIo Maio 1724 et XXmo Aprili, 1758. in collect. edict. reg. No. 37. et Rescript regium ad Fiscalem Domin. Vhden de VIIIvo Jul. 1750 in 1Vta contin. corp. constit. Marchic, No. 101. Rescript, reg. de XXIXno Ian. 1751.

§. VII.



§. VII.

Detractus sua natura est triplex, vel haereditatis, vel emigrationis, vel venditionis, seu intributionis. His in causis apud nos detractus in viridi est obseruantia, sed tamen cum aliqua distinctione. Nempe gabella emigrationis, si emigrans vnam tantum prouinciam cum alia prouincia Regi nostro subiecta ratione domicilii mutat, penitus cessat a). Gabellae haereditariae duplex est ratio. Redit nimirum res ad hanc quaestione, vitrum gabella ex haereditate ad subditum ab aliquo, in alia prouincia Regi nostro item subiecta, delata debeatur Regi nostro, an personae priuilegiatae, prius illud si sit, iterum gabella cessat b). Sed obseruandum, gabellam haereditariam fisco regio iure retorsionis deberi, si haereditas ex iurisdictione regia in aliam iurisdictionem ciuicam defertur c).

a) Vid. rescript. Regium de VIIIto Iul. 1750. Contin. 4. corp. const. Marchic. No. 101. Rescript. de IIIto Maio, 1724.

b) Rescript. reg. de VIIto Iul. 1750, No. 101. contin. 4. const. Marchic.

c) Rescript. reg. de XXIX. Ian. 1751. et XX. Iul. 1752



§. VIII.

Ius Detractus cum ad regalia minora pertineat a), sequitur, hoc ius principi territorii competere, aut eos sibi vindicare illud posse, quibus princeps hoc ius concesserit, subditos nimirum priuilegiatos. In Ducatu Magdeburgico magistratibus inferioribus hoc ius concessum est b). Sic etiam nobilibus potestas gabellam haereditariam capendi competit c). Saepe etiam princeps ac subditus priuilegiatus simul detrahunt.

a) Knipschild de iure civitatis cap. XX. no XVIII.

b) Cap. 56. §. 3; ordia. polit. magd. per verba; der soll uns Unsern Almte oder der Obrigkeit, darunter er gesessen ic.

c) Rescript. reg. de VIII. Iul. 1750, No. 101. Contin. 4. const. marchic. et vid. Scheplitz in consuetud. marchic. libro 3. Tit. 8. §. 5.

§. IX.



§. IX.

Si in prouinciis nonnullis maior gabella exigitur ab iis, qui bona sua in aliud territorium transferunt, nullo dubio caret, huic territorio in casu obuenienti competere ius retorsionis, id vero est, potestatem detrahendi tantundem, quantum illa prouincia prius derraxit. Sic in Ducatu Magdeburgico ius retorsionis in viridi est obseruantia, cui Ordinatio Politiae a) auctoritatem suam imposuit. Quo in casu tantum probandum erit, ab altera ciuitate generaliter maiorem gabellam exigi solere b).

a) Vid. c. 56. §. 6. ordin. politiae Magdeburg.

b) Stryck. in Vsu moderno pandectarum, L. 2. Tit. 2. §. 4.

§. X.

Quamquam plurimi Iuris Doctores iam ex dispositione Iuris Communis certas personas e. g. Principum Ministros, Clericos, Professores, Studiosos et alios iuri Detraetūs non obnoxios purant a); merito tamen, cum vni Principi aliquem a rigore legis eximendi potestas competat, illi tantum a iure Detractionis immunes haberi possunt, quos Princeps per priuilegium speciale illis concessum nominatum exceptit. Nostris in terris sequentes personae per priuilegium speciale solutione Gabellae non tenentur. Nimirum 1) Nobiles b), 2) Ministri regii c), 3) Ministri Ecclesiae ac Scholarum d), 4) Professores arque officiales Academiae, eorumque viduae et liberi e), 5) Milites, sed tantum in castris degentes, eorumque vxores, etiam Chirurgi exercitum concomitantes f), 6) Conductores bonorum domanialem eorumque uxores ac liberi g), 7) omnes, qui Potsdamum migrant h), 8) qui secundum edictum de Imo Mensis Septembr. 1747 et eius declarationem de IIIto Mensis Septembr. 1749 se in prouincias Regi nostro subiectas se conferunt i), 9) Fabricantes in his terris degentes, si illis ex alia prouincia haereditas

C

D.

D. Thalerorum summam non excedens delata sit, si autem haec summa maior sit, tunc gabella de quanto, quod restat, si summam D. Thalerorum detraxeris, debetur *k).* Personas in Ducatu Magdeburgico iuri Detractus non obnoxias late exponit Ordinatio Politiae *l).*

- a)* Leyserus in medit. ad Digesta sp. CCCCXXXI. med. I. et seq. Meyius Parte 7. Dec. 28.
- b)* Mullerus in practica civili marchica, Resolut. 7, qui originem huius privilegii fuse exponit.
- c)* Ordin. Pol. Magdeb. cap. 56. §. 8. Mullerus citato loco, Resolut. 4.
- d)* Ordin. eccles. de 1739. c. 22. §. 7.
- e)* Privileg. academ. Frideric. de IV. Sept. 1697. §. 4.
- f)* Rescript. regium de XXII. Aug. 1735. quod in Ducatu Magdeburg. XVIto mens. Ian. 1736. publicatum est, et eius declaratio de XXXmo mens Nov. eiusdem anni P. 3. p. 494. Corp. const. marchic. No. 222. et No. 223.
- g)* Sed conductorum propinquitate proximi non sunt immunes, neque conductores, qui per decenniam prædia conduxerunt et facultates acquisiverunt; per Rescript. regium de XXIII. Ian. 1763. in collect. edit. de Anno 1763. No. 38
- h)* Per privileg. de XXVI. April. 1737.
- i)* Rescript. regium de IV. Febr. 1755. et de XVIII. Dec. 1766. Sed de hoc privilegio dantur tres exceptiones, primo, si facultates, quas Coloni secum apportaverunt, cum bonis acquisitis sic confusae sint, ut nulla separatio locum habeat per Rescript. regium, de XIX. Jun. 1774. Secundo si Colonorum haereditates ad exterios collaterales aut heredes testamentarios redeant, nam hoc de casu editum non loquitur; tertio denique, si ad venas tunc temporis, cum in his terris domicilium constituebant, immunitatem sibi non prospexerunt, quia secundum editum de mo Septembr. 1747. hoc commido frui non possunt, nisi illis eo tempore sit promissa non aut advenae hoc sibi sunt pacti.
- k)* Per Rescript. regium de XXXI. Aug. 1732.
- l)* Cap. 56. §. 8.

§. XI.

Cum de bonis Subditorum detractus competit, tam mobilia, quam immobilia iuri Detractus sunt obnoxia, Quum ius

ius detractionis ex onere subiectionis deriuandum sit, quam veram iuris detractus esse rationem §. VI. ostendi, quaestio controuersa decidenda erit; vtrum de actiis extra domicilium defuncti in domicilio defuncti detractus Principi competat? De mobilibus extra domicilium defuncti sitis res clara est, et nullo dubio caret, quin de illis regulariter a) in foro domicilii defuncti detractus Principi competat: nam mobilia sequuntur forum domini b) ideoque Principi, cuius subditus fuit defunctus, de illis detrahendi potestas competit. Sed hic rantum quaeritur: an nomina extra domicilium defuncti exigibilia detractui in domicilio defuncti sint obnoxia? Mihi quidem assirmandam videtur quaestio, quamquam plurimi Doctores dissentiant c). Pro hac mea sententia sequentes rationes sufficien. Nomina non adhaerent loco sed personae creditoris, vti late exponit Berlichius d) neque loco circumscribuntur. Porro secundum Ius Romanum aes alienum non eius est loci, vbi ea existit, sed haereditatis et vniuersarum facultatum e), ideoque cum creditor defunctus fuit subditus domini domicilii, neutquam huic abneganda erit potestas detractum exigendi. Altera quaestio controuersa haec est, vtrum de immobilibus defuncti testatoris alibi sitis in foro domicilii detractus competat? In decisione huius quaestionis videndum est, vtrum defunctus possessor ipse bona illa acquisuerit, an vero vt bona auita possederit. Prius illud, si sit, foro domicilii detractus addicendus erit: nam immobile illud re vera surrogatum pecuniae numeratae est, et sicut detractus de hac foro domicilii competit, sic etiam de immobili alibi sito priujo a defuncto subdito acquisito. Sed posterius, si locum habeat, si nimirum immobile bonum alibi situm auitum defuncti fuit, merito potestas detrahendi foro rei sitae, si haeres illud vendat, competit f). In Ducatu Magdeburgico secundum ordinationem Politiae g) tam de mobilibus, quam de nominibus extra defuncti domicilium exigibilibus gabella praestanda est, quod fuse exponit Thomasius h).

a) Exceptio a regula est, si heres mobilia alibi sita in forum domicilii transferri velit, tunc secundum observantiam quarundam civitatum

foro rei sitas gabella detractionis itidem debetur: vide Lamm, in comment. de gabella detractionis et emigrationis etc. §. 13, et Heinrich Arnold Lange in den Anmerkungen und Berichtigungen zu Becks Abhandlung von Nachsteuer und Handlohn, p. I, cap. VII, obs VII.

- b) Mevius parte V. Decis. 165. no. 2. et Berlichius parte 2 Conclus. 52, no. 68, qui solidis rationibus hanc materiam exposuit,
- c) Schultes in addit. ad Modestini Pistor. p. 2. quaeſt. 124. no. 124. seq.
- d) Parte 3. Conclus. 52. no. 79. seq.
- e) L. 50. §. 1. D. de iudiciis. Hanc nostram sententiam nuperime etiam defendit Watherus in dem System der Abzugs-Gerechtigkeit. §. 31.
- f) Plura hac de re vid. apud Langium in den Anmerkungen und Berichtigungen zu Becks Abhandlung von Nachsteuer und Handlohn, p. I, cap. VII, obs. VIII, no. 8.
- g) C. 56. §. 6. ibi Daß der Abziehende den zehnten Pfenning seiner liegenden Gründen, wofern dieselben über 100 Gulden würdig, erlegen solle. Dubium aliquod per verba liegende Gründen otiri possit, an hic locus tantum de immobilibus intelligendus sit, cum sub voce liegende tam mobilia quam immobilia intelligantur in sensu iuridico, merito legislator etiam mobilia comprehendit. Thomasius in Obs. select de iure detractus §. 28. Et cum etiam nomina sub voce omnium bonorum comprehenduntur, etiam ex loco allegato recte concludi potest, detractum de nominibus alibi exigibilibus, in Ducatu Magdeburgico principi nostro competere
- h) de iure detractus §. 28. et. 31. De eo, quod in Marchia hoc in casu observantiae est. Vid. Mullerus in practica civili marchica Resol. 10.

§. XII.

Vbique fere in Germania receptum est, ut in detractus computatione ad honorum, quae euehuntur, pretium et quidem tantum ad illud, quod tempore aestimationis, cum euehuntur bona habent a) respiciatur. Saepe etiam pro personis, quae bona euehunt, et locis, in quae transportantur, computandi rationes variant b). In Ducatu Madgeburgico secundum dispositionem Ordin. Polit. ad premium illud, quod tempore acquisitionis bona habuerunt, respicitur c). Sed portio

portio detractionis non ubique est eadem, variat et ipsa pro locorum diaersitate. Sic in Marchia secundum Ioachimi III. Electoris constitutionem de 1540. detrahitur decima quinta d), plerisque autem in locis, vti in Palatinatu et Electoratu Rheni, vt et in Principatu Anhaltino, Nassouio, nec non Francofurti ad Moenum, Lubecae, Hamburgi, Bambergae, Eßlin-gae decima, in aliis locis tertia vel quarta, vel etiam plus minus obseruatur e). In Ducatu Magdeburgico Ord. Polit. decimam constituit partem f).

- a) Gaill. obs. 201. no. 2.
- b) Carpzov parte 2. Const. 12. def. 9. Rhetzius de sarcina emigrantiū c. 4. §. 6.
- c) C. 56. §. 3.
- d) Scheplitz in Consuet. Marchic. p. 3. T. 8. §. 4. no. 1. 2. 3. Kohl in Constat. Marchic. 3. quaest. 20. no. 3. 4. Quibus in casibus autem in ipsa Marchia haec portio variat, ostendit. alleg. Scheplitz p. 3. T. 1. §. 6. no. 4. vti etiam citatus. Kohl 3. qu. 20. no. 15.
- e) Besold, Thes. practic. voce vom Abschub. Carpzov p. 3. Const. 38. no. 1.
- f) C. 56. §. 3.

§. XIII.

Vti gabella duplex est, vel emigrationis vel haereditaria, quando quis haereditatem alicunde sibi delatam ad Lares domicili transferre cupit, tempus exigendi detraictum duplex hinc nascitur, statim scilicet praefundus est detractus, quando quis emigrat, vel quando haereditas transfertur.

§. XIV.

Quando tertius aliquis a primo acquirente et emigrante emit mobile aut immobile aliquid; vel haereditatem alio delatam, tunc saepe quaestio nascitur, vtrum primus acquirens an vero tertius possessor iuri detractus sit obnoxius? Vtique in casu tertius possessor a iure detractus immunis pronuntian-

C 3

dus

dus viderur, et quidem ex hac ratione; quia detractus per se ius personale est, non reale: nam verum eius fundamen-
tum, ut in §. 6. ostendi, hoc est, quod semel subditus sem-
per maneat subditus, et per mutationem domicillii aut bonorum
in aliud locum translationem ab onere subiectonis immunis
non fiat, adeoque non propter bona tertio vendita, sed prop-
ter personam scilicet venditoris detractus exigatur. Tertius
ille bonorum possessor aut nunc demum fit subditus, aut iam
olim subditus bona acquisiuit. Neutro in casu eum ad p-
raestationem gabellae obstrictum esse mihi persuaderi patiar.
Primo enim ut forensis in territorium venit, ideoque illi
oneri non potest esse subiectus, secundo autem in casu nihil
esset iniquius, quam censum detractionis petere ab eo, qui
nihil exportat, vel ad gabellam emigrationis p-
raestandam cogere illum, qui nec emigrat, nec bona ex vno territorio
in aliud transfert. Venditor solus tenetur de pretio ex re
vendita redacto et exportato p-
raestare detractionum, vti in spe-
ciali commentatione solidis rationibus demonstravit Lam-
mius a).

- a) de Gabella detractionis vel emigrationis nisi pretium ex re vendita
redactum ex vno territorio in aliud territorium de loco ad locum
transferatur, in specie pretio rei venditae nondum soluto sed in loco
rei sitae apud emtorem adhuc permanente non detrahenda cum Ro-
mano cum Germanico iure. Vinariae 1751. §. 7. et 8. ibique alle-
gatus Clasen,

§. XV.

Causas quod attinet, in quibus ius detractus cessat, tres
sunt, nimirum praescriptio scilicet quadragenaria a), pacta
et reuersales b) et denique, si subditus haereditatem ab extra-
neo sibi delatam subdito aliū cedit c).

- a) Lis est inter Doctores, quot annos requirantur ad p-
raescribendum
detractum, sic Mevius in Decis. p. 2. Decis. 163. et Lyncker Vol. I.
resp. 33. no 5. quinque, alii ut Wernher in observ. forens. Vol. I.
obs. 369. triginta annos ius detractus amissum esse putant. Sed cum
actio

actio haec fisco competit, et haec actiones lapsu quadraginta annorum exspirant per legem 4 C de praefcript. mihi potius corum opinio amplectenda videtur, qui quadraginta annos ponunt.

- b) Nullo dubio caret, quin talia pacta stent firmo tali; sed si quis pacientium contra talia detractum exercet, alteri ius retortionis plene competit, cuius rei exemplum praebet Lynker in Decis. Cent. 10. no. 943. Sic in his terris eiusmodi pacta cum exteris sunt inita, de quibus in fine commentatiois.
- c) Cessante enim causa cessat effectus, hic autem nihil bonorum exportatur. Langius quidem putat in annotationibus ad Beckii Commentationem de detractu in lingua vernacula conscriptam Tom. I. c. 13. in aliis Beckii commentatione, extraneum hoc in casu non esse immunem a detractu. Sed me Hercule, nescio quid homo sibi velit, et quomodo possit exigere ab illo detractum, qui nihil exportat, ipse Langius rationem introducendi detractus exportationem bonorum esse laudata Beckii Commentatione Tom. I. c. 1. obs. 1. claris verbis contendit, et hic suae ipse causae adversatus, extraneum, qui haereditatem subdit oneri detractus subiectum esse vult. Si haec fundamentum iuris detractionis bonorum exportationem esse et extraneum, qui haereditatem subdit oneri detractus subjectum esse, non contraria sunt, nescio, quid contrarium sit. Certe oblitus est Langius quid de ratione introducendi detractus in annotationibus ad Beckii commentationem adjectis, quae saepe iterum alias annotationes desiderant, dixit, et sic virum brevis memoria excusat.

§. XVI.

Expositis nunc iis, quae partim ad generalia partim ad specialia doctrinae nostrae pertinent, nihil restat, quam ut promissum, quod in praefatione dedi, exsoluam, et prouinciarum, quibuscum nostris in terris detractus sublatus est, vel non, mentionem faciam, quod sequentibus in paginis, praemissis antea quibusdam generalibus, ad detractum in his terris pertinentibus faciam.

DE
PROVINCIIS ET CIVITATIBVS

QVIBVS CVM

PER EDICTA REGIA
DETRACTVS VEL SVBLATVS EST,

VEL

NON SVBLATVS EST

§. I.

Generalia.

Ad Generalia, quae detractum nostris in terris attinent,
refero, 1) si exteri principes contendant detractum locum
non habere, sine scientia Regis nihil fieri debeat a), 2) vbi
gabella haereditaria est praestanda, inuentarium edendum
est b), 3) iudicium, quod in conscriptione Inuentarii vider,
aliquam rem detractui esse obnoxiam, magistratui hoc noti-
ficare debet c), 4) de haereditatibus exteris obuenientibus,
sine distinctione, siue detractus sit sublarus siue non, ad Re-
gem fieri debet Relatio d); lis de detractu praestando inter
praefecturas vel inuicem inter se vel cum Ciuitatibus et Aera-
riis orta a Camera Regia decidenda est e): in Marchia noua
autem hoc ad forum Regiminis pertinet f), 6) bona sunt
taxanda, sed hoc tantum in Ordinatione Policiae Cultrina or-
dinatum est g).

a) Corp.

- a) Corp. Const. March. IV. 193. 194.
- b) Corp. Const. Marchic. VI. I. 137. 141. 565.
- c) Corp. Const. March. II. I. 796.
- d) Corp. Const. Marchic. Cont. I. 307. lit. B.
- e) Corp. Const. Marchic. Contin. IV. 260.
- f) Corp. Const. Marchic. Cont. I. 330.
- g) Corp. Const. Marchic. I. 13. 34.

§. II.

*Tabula Prouinciarum ac Ciuitatum quibuscum
per pacia detractus vel in totum vel in tantum sub-
latus est in nostris terris.*

1) Terrae Hasso Cassellanae inclusa Hanouia sine distin-
ctione vtrum gabella sit emigrationis an haereditaria, exce-
ptis tamen Iudeis in vtrisque terris a), 2) Nordhusa b),
3) Hildesia, qua hanc prouinciam non vniuersaliter, sed tan-
tum cum principatu Halberstadiensi sublatus est c), 4) Ter-
rae Brunswico Luneburgicae d), 5) Polonia, sed tantum
cum Marchia noua sublatus est e), 6) Terraeg Megapolitanae
sed tantum cum Marchia f), 7) Terraeg Hannoveranae g),
8) Saxonia tantum qua personas nobiles h) et denique 9) cum
Batauis sublatus est i). Sed in his casibus ad Regem fieri
debet relatio k).

- a) per Rescript. Regium d. d. XXIII, Ian. 1756. Nov. Corp. Const.
Marchic. T. 2. p. 22.
- b) per Resolutionem, quam Regimen Halberstadiense d. X, Febr. 1756
acepit T. 2. Corp. Const. Marchic. p. 107.
- c) Vid. T. 2. Const. Const. Marchic. p. 107.
- d) Vid.

D

d) Vid.

- a) Vid. T. 2. Corp. Const. Marchic. p. 107.
 b) per Rescript. d. d. XIII. Febr. 1749, quod postea de novo confirmatum est per Rescript. d. d. XXVI. Nov. 1764. Corp. Const. Marchic. T. 3. p. 3.
 c) Vid. T. 5. Corp. Const. Marchic. Contin. II. p. 140. per Rescript. d. d. XIII. Ian. 1753.
 d) Vid. T. 6. Corp. Const. Marchic. Sect. 2. p. 43. et 451.
 e) Vid. T. 6. Corp. Const. Marchic. Sect. 2. p. 255. et 273.
 f) Vid. T. 6. Corp. Const. Marchic. Sect. 2. p. 389.
 g) Vid. Contin. I. T. 6. Corp. Const. Marchic. p. 310

§. III.

De Provinciis et ciuitatibus quibuscum detractum non esse sublatum ex edictis regiis constat.

Longe plures sunt Provinciae ac ciuitates inter quas et nostras terras detractus non est sublatus. Nimirum 1) Kilonia a) 2) Lauenburga, b) 3) Rudolstadium, c) 4) Terra Anhaltinae, d) 5) Livonia e) 6) Sondershusa f) 7) Alsatia, g) 8) Bremenses, h) 9) Holfatia, i) 10) Dantiscum, k) 11) Francofurtum ad Moenum, l) 12) Terra Verdenses, m) 13) Dortmundium, n) 14) Polonia excepta noua Marchia, o) 15) Hamburgum p), 16) Wormatienses q), 17) Coda-nia r), 18) Anglia s), 19) Wernigeroda t), 20) Wuster-husa u), 21) Saxonia qua personas ciuicas v), et denique Ser-vesta w),

- a) Vid. Tom. 2. Nov. Corp. Const. Marchic. p. 14.
 b) Vid. Tom. 2. Nov. Corp. Const. Marchic. p. 238. No. 19.
 c) Vid. T. 2. Nov. Corp. Const. Marchic. p. 43.
 d) Vid. T. 2. Nov. Corp. Const. Marchic. p. 167.

e) Vid.

- e) Vid. Tom. 2. Nov. Corp. Const. Marchic. p. 182.
 f) Vid. Tom. 2. Nov. Corp. Const. Marchic. p. 227.
 g) Vid. Tom. 2. Nov. Corp. Const. Marchic. p. 238. No. 19.
 h) Vid. Tom. 2. Nov. Corp. Const. Marchic. p. 238. No. 19.
 i) Vid. Tom. 2. Nov. Corp. Const. Marchic. p. 238. No. 18.
 k) Vid. Tom. 2. Nov. Corp. Const. Marchic. p. 274.
 l) Vid. Tom. 2. Nov. Corp. Const. Marchic. p. 294.
 m) Vid. Tom. 2. Nov. Corp. Const. Marchic. p. 238
 n) Vid. Tom. 2. Nov. Corp. Const. Marchic. p. 355.
 o) Vid. Tom. 2. Nov. Corp. Const. Marchic. p. 262.
 p) Vid. Contin. IV. Corp. Const. Marchic. p. 77. 78. 177.
 q) Vid. Contin. IV. Corp. Const. Marchic. p. 89. 90.
 r) Vid. Contin. IV. Corp. Const. Marchic. p. 153. 154.
 s) Vid. Tom. VI. Corp. Const. March. Sect. 2. p. 435.
 t) Vid. Tom. VI. Corp. Const. Marchic. Sect. 2. p. 497.
 u) Vid. Tom. VI. Corp. Const. Marchic. Sect. I. p. 137.
 v) Vid. Tom. VI. Corp. Const. Marchic. Sect. 2. p. 431.
 w) Vid. Tom. VI. Corp. Const. March. Sect. 2. p. 413.

TANTVM.



Ki 1584 f

AT

nc

Hi 1084

ULB Halle
005 366 47X

3





H. E. S. A B H O Y M

BEGIMINIS MAGDEBURGENSIS REFERENDARIUS

387


D E

IVRE DETRACTVS

IN GENERE ET IN SPECIE

SECUNDVM

LEGES PRVTENICAS.



ROSTOCHII et LIPSIAE,

APVD IOH. CHRIST. KOPPIVM. 1783.

